

tes Regulares, aut alios interesse habentes non citet, nec audiat, casu, quo eidem aliunde satis conflet, noviter introducendos Regulares saltem duodecim numero sine aliorum præjudicio commodè sustentari posse. Ratio est, quæ prius; quia nempe causa finalis, ob quam aliàs citandi, & audiendi forent, cessat, evitatio videlicet præjudicii: quod ipsum etiam clare indicat Gregorius XV. in sua Constitutione §. 3. ubi in sensu diviso prohibetur Episcopis, dare licentiam, seu consensum ædificandi, nisi prius citent, & audiant Religiosos ibidem, aut in vicinia præexistentes, & alios interesse habentes; vel NB. eisdem aliàs constiterit, Religiosos Monasterii, Conventus, seu Domus sic erigendi absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, seu Domibus ante in Civitatibus, & locis hujusmodi ecclesiis degentium ibi in numero duodecim commodè, & congruè manentibus & ali poss. Monent tamen DD. consensum ab Episcopo aliis non auditis facili non esse dandum, nisi evidenter conflet, novam Monasterii Erectionem nulli esse præjudicium.

43 Queritur V. Quale debeat esse, & unde probari valeat præjudicium, vel gravamen præexistentium Religiosorum, aut aliorum interesse habentium? Resp. I. Ad hoc, ut præjudicium vel gravamen aliorum sit relevans ad impediendum Monasterium, non sufficit quodvis leve, & modicum, sed debet esse grave, quale præcipuè foret, si ex nova Erectione Monasterii, præexistentes Religiosi in numero duodecim amplius sustentari non possent, Bruno Neuffer Disp. 173. q. 12. Passerinus in c. un. de Excess. Prælator. in 6. n. 56. qui cum aliis infert ordinariè loquendo, non esse sufficientem causam, nec sufficientem præjudicium ad impediendum novum Monasterium, etsi ex ejus Erectione alii Religiosi in illo loco, seu vicinia prius existentes, tantum concursum non amplius habeant ad suas Ecclesias, minorem accipiant eleemosynam, debeant aliquantum diminuere numerum suorum Religiosorum. Præsertim si Religio de novo introducenda est de illis, quæ maxime incumbunt, & quam studiosè laborant, ut populum promoveant ad frequentationem Sacramentorum, orationum, & nedum exemplo, sed etiam prædicationibus, exhortationibus, consiliis, doctrinis, Confessionum exceptionibus &c. fideles inducant ad exercitium virtutum, & fugam vitiorum, eorumque salutem animarum zelant, ac promovent. Ratio est; quia cultus Divinus, & favor spiritualis populi ex ita circumstantiata nova Erectione Monasterii prævalet uberiori sustentationi, aut superabundanti numero aliorum Religiosorum præexistentium, præcipuè, ubi hi in promovendo cultu Divino, & salute animarum tam excellentes, aut fructuosi, ac noviter introducendi non cognoscuntur. Uti bene discit Passerinus lo. cit.

44 Quod si verò ex nova introductione redditus aut eleemosynæ ita diminuendæ prudenter timerentur, ut præexistentes nec duodecim amplius commodè ac congruè sustentari possent, haud dubiè præjudicium grave, & ad impediendam novam Monasterium, sufficiens foret; prout lo. cit. fatetur Passerinus, & conveniunt omnes ob novissimas Constitutiones num. 29. allegatas. Pariter erit præjudicium grave, si prioribus in eodem loco, vel intra viciniam debitam in longa possessione majoris numeri existentibus Religiosis per novam Erectionem Monasterii, eorum redditus, aut eleemosynæ ita diminuerentur, ut numerum Religiosorum notabiliter, etsi non infra duodenarium numerum reducere deberent; præsertim si in præexistentibus Conventibus Novitiatus, aut studium haberetur, ex nova Erectione amovendum; quia tunc nec

æquitas, nec justitia admitteret, ut cum tanto detrimento antiquorum, lucrum admitteretur novorum; ut lo. cit. bene advertit Passerinus: cum cæteris paribus melior sit conditio agentis de damno, quam agentis de lucro querendo per vulgaria Juris.

Rursus etiam modica reductio numeri Religiosorum præexistentium sufficiens erit causa, & præjudicium impediendi novum Monasterium, si constet, præexistentes Religiosos tum vi Professionis ac Regule suæ; tum exemplaris, zelosæ, & in vinea Domini laboriosæ vitæ; tum scientiæ ac doctrinæ pro gloria Dei, & animarum salute plus conducere, quam noviter introducendos; debet enim, ait Passerinus lo. cit. n. 68. Episcopus principaliter etiam attendere ad utilitatem locorum in ordine ad cultum Divinum, & ad instructionem, inductionem, & auxilium Fidelium, ad sequelam virtutum, & fugam vitiorum: quæ utilitas ex nova Erectione subinde potest esse tanta, ut non sit magnificandum præexistentium detrimentum in abundantia numero, vel eleemosynæ: subinde verò tam levis, modica aut nulla, ut nova Erectione concedenda non sit, licet detrimentum præexistentium zelosorum Religiosorum non sit multum grave. Accedit, quod Monasteria de facili non sint multiplicanda, ac nova erigi non valeant sine causa gravi, qualis est magna spiritualis utilitas populi, aut Religionis noviter introducendæ; non item sola Religiosorum, aut Conventuum, eorumdem multiplicatio; prout cum communissima aliorum bene docet Bruno Neuffer Disp. 173. q. 15. Donat. Tom. 1. r. 1. q. 7.

Resp. II. Præjudicii gravitas optimè probatur, 46 & demonstratur per experientiam à præterito: quando enim constat, quod Religiosi præexistentes hactenus vix & ægrè in numero debito sustentari potuerint de consuetis eleemosynis, bene inferre licet; ergo venientibus aliis pariter de eleemosyna viventibus, & ob medicationem suam portiones eleemosynæ minuendum, amplius sustentari haud valent in numero debito. Unde ad propositum bene argumentatur Laurethus de Franchis in Controversia in Episc. & Regul. p. 1. n. 421. & seqq. Quando præexistentes Religiosi ægrè sustentantur, facili evidens argumentum, quod de novo introducendi non poterunt commodè sustentari absque aliorum detrimento; nam qualibet eleemosynarum divisio stante ægrè sustentatione erit notabile detrimentum, ubi singulariter notat terminum commodè, quia non sufficit, quod Religiosi qualitercumque sustentari valeant, sed requiritur, ut constet eos commodè, & congruè sustentari posse, prout expressè habetur in Bulla Clem. VIII. & Gregorii XV. Quapropter si prudenter licet colligere, antiquos, vel novos Religiosos in debito numero commodè, & congruè sustentari non posse, consensum ædificandi dari nequit.

Queritur VI. An hactenus recentia Decreta 47 Pontificia, ac Juris dispositiones comprehendant etiam Hospitia, Domos, Residentias &c. Religiosorum? Resp. I. Hospitia proprie dicta, id est, illa, in quibus Regulares transiendo tantum diverunt, ibique diu non manent, & in quo Ecclesiam non habent, campanas non pulsant, Missas non recipiunt, eleemosynas non querunt, Divina non celebrant, Sacramenta aliis non administrant &c. non comprehenduntur in dictis Decretis, ut proin talia Hospitia sine ullo consensu Episcopi, vel ipsi solemnitatibus comparare vel emere, vel etiam erigere possint Regulares. Donatus lo. cit. q. 22. Passerinus lo. cit. num. 37. Bruno Neuffer Disp. 173. q. 7. Franch. p. 1. n. 414. Navar. de novo Jure Pontificio, Tit. de Ædificat. Concl. 2. aliis. 11. cum communi aliorum. Talia Hospitia plura habentur Monachii

à quibusdam Monasteriis adjacentibus, ad hunc præcipuè finem ibidem constituta, ut venientes Monachium talium Monasteriorum Regulares in diversis, aut aliis Religiosis minus accomodis locis divertere non cogantur, sed aptum pro habitatione religiosa ad tempus, habitaculum habeant. Ratio est; quia in injussum Hospitium cessat omnis ratio Legis, præjudicium nempe aliorum Religiosorum vel interesse habentium; consequenter etiam ipsa Lex, arg. c. Cum cessante. 60. de Appellat. Bruno Neuffer, & alii communiter.

48 Resp. II. Hospitia improprie dicta, item Domus, Residentia, Collegia, & quæcumque alia loca quocumque nuncupata nomine, in quibus Religiosi non solum transiendo diverunt, sed etiam perpetuè aut diu manent, ibique Ecclesias proprias habent, & campanas pulsant, vel Divina administrant, vel Missas votivas pro eleemosyna recipiunt, aut eleemosynas querunt &c. omnino comprehenduntur in dictis Decretis, ita ut eadem ad illa erigenda requirantur solemnitates, quæ ad Monasteria, & consequenter erigi non possunt sine consensu Ordinarii, qui eum dare nequit, nisi prius citet, & audiat ibidem, vel in vicinia existentes Religiosos, & nisi eidem constet, quod in tali Hospitio, vel Domo &c. saltem duodecim numero sine gravi aliorum præjudicio commodè & congruè sustentari valeant; prout diximus de Monasteriis. Donatus lo. cit. Bruno Neuffer Disp. 174. p. 7. Landuscha v. Conventus n. 7. Passerinus lo. cit. n. 37. cum communi aliorum. Ratio est; quia in his non minus, ac in Monasteriis militat Legis ratio, consequenter etiam ejusdem dispositio, arg. l. Idem ff. de Legib. Confirmatur ex Bulla Urbani VIII. supra n. 29. allegata, ubi per Constitutiones Prædecessorum Clementis VIII. & Gregorii XV. atque dispositionem Concilii Tridentini, & Juris communis, non tantum Conventus, & Monasteria, sed etiam Domos, Collegia, & alia loca Regularia quovis nomine nuncupata (consequenter etiam Hospitia, aut Residentia intulerunt) comprehendunt, expressè declaratur. Hinc teste Brunone Neuffer lo. cit. Alexander VII. per speciale Breve declaravit, PP. Capuchinos Provincie Aragoniæ non posse habere locum, Hospitium, Domum, habitationem &c. cum præjudicio Franciscanorum; similiter contra PP. Capuchinos decidit Rota 1661. 24. Januarii.

49 Queritur VII. Qualem formam procedendi observare debeant Reverendissimi Ordinarii in causa Erectionis novi Monasterii? Quamvis ex dictis jam pateat ad hoc questum, nihil minus pro majori claritate breviter recapitulando, & formam in compendio dando. Resp. Licet necesse non sit, ut Episcopus formet integrum Processum, servatâ plenâ Juris formâ, & servatis Regulis, ac scrupulis aliorum causarum, nihilo minus quedam necessariò observare, & juxta præscriptum Concilii Tridentini, SS. Canonum & num. 29. allegatarum Constitutionum novissimarum Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. pro hac materia editarum procedere debent. Ea propter his conformiter, si qui Religiosi ab aliquo Rmo. Ordinario consensum petunt erigendi Monasterium, aut Hospitium, Domum, Residentiam, aut aliam habitationem stabilem, in qua vel Ecclesias, & campanas habent, aut Missas votivas recipiunt, aut eleemosynas querunt &c. juxta dicta num. 48. Prius, & ante omnia videre debet, an petentes jam habeant consensum Principis, aut Domini Territorialis; quamvis enim Ordinarius absque illo suum dare possit consensum; tan en quia etiam Principis Territorialis consensum requiritur ad Ædificationem juxta dicta num. 30. hinc ad evitandas tricas, & alia inconvenientia expedit,

ut Ordinarius petentes non audiat, nisi habeant, & exhibeant consensum Principis, & Domini Territorialis.

Secundò videre, & examinare debet, an & quibus 50 aliis astitit, & allegatur causa novæ introductionis; si enim nulla reperitur, vel allegatur causa gravis (qualis esse potest moralis necessitas populi, aut magna ejusdem utilitas ex frequentatione Sacramentorum, aliisque mediis spiritualibus ex nova introductione populo certò oritura) sed tantum intendi videtur multiplicatio novorum Religiosorum, aut major eorum commoditas, Communitate aliis Religiosis, aut sufficientibus Pastoribus, aliis jam sufficienter provisâ, petentibus illicò negativam dare expedit, absque ulteriori citatione aliorum, cum juxta dicta num. 45. Monasteria nova erigi non valeant sine gravi causa.

Terziò videre, & considerare debet, an duodecim 51 saltem numero novi Religiosi sine gravi præjudicio commodè, ac congruè sustentationis præexistentium, ac vicinorum Religiosorum commodè, ac congruè sustentari valeant, & velint. Nam si noviter introducendi Religiosi ipsimet pro minori numero in novo loco habitare non velint, aut sine aliorum præjudicio se non posse faterentur, aut idem aliunde constaret, deberet Rmus. sine ulteriori aliorum citatione consensum illicò negare, & petitionem rejicere, juxta dicta n. 34. & claram dispositionem Gregorii XV.

Quarziò debet citare omnes Religiosos in loco futuri Ædificii, ac in vicinia debite existentes, nec non Parochum loci, & alios interesse habentes; quod facere potest, vel per plura specialia Decreta, vel per unum generale ad Valvas Ecclesie loci, in quo intenditur nova Ædificatio, affixum, in quo universaliter citentur omnes interesse habentes, juxta dicta n. 32. & seq. Forma citationis in substantia potest esse sequentis Tenoris.

Præmissio Rv. Ordinarii Titulo :

Omibus & singulis notum hisce facimus, quod 52 P. Provincialis NN. Religionis N. N. (vel si alius loco Religiosorum sollicitat, exprimat ipse) obtento prius & Nobis exhibito Principis &c. consensu ædificandi in loco N. N. Monasterium, vel Domum, aut Hospitium &c. ad Nobis quoque necessarium commensum ex ea causa (exprimat causa) fugiet. Expromittet omnes & singulos interesse habentes, vel habere putantes (si vult, potest aliquos in specie exprimere dicendo v. g. specialiter aut hos, aut illos Religiosos, hoc aut aliud Capitulum, loci Parochum, & Incolas) canonicè ac peremptoriè citamus, ut ad die affixionis hujus Decreti nostri citatorii infra &c. (assignetur tempus v. g.) triginta dies compareant, & si que habent gravamina, in scriptis redacta Nobis proponant: post præfatum tempus elapsum non amplius audendi. Publicatio per affixionem citatorio Decreto, si qui ex causa rationabili impediti, prolongationem termini petunt, eidem concedere debent.

Quindiò debet Rmus. Ordinarius gravamina sibi 53 per interesse habentes in scriptis proposita communicare, ædificare volentibus juxta dicta num. 41. & Bullam Pii V. ibidem citatam §. 23. ubi præcipitur Rmis. Ordinariis, ut si consensum negare velint, causam legitimam negandi Superioribus ædificare volentibus manifestent; consequenter si gravamina pro causa negandi consensum, per interesse habentes proponuntur, ea dictis Superioribus manifestare debent: Et merito; cum enim in Ædificationis negotio plerumque aliqua ex malo supposito, aut sinistra informatione, nonnquam ex privato nimio interesse, subinde etiam ex aliqua

aversione, & passione erga noviter introducendos Religiosos proponatur, æquum omnino apparet, & iustè à Pio V. statutum est, ut hæc Superioribus ædificare volentibus communicentur, quatenus exinde modestâ responsione, & exceptione quædam dilucidare, quædam dissolvere, atque, ubi opus est, se & suam Religionem defendere, famamque tueri, vel gravi præiudicio revera subsistente Religiosè acquiescere, & causam deserere prudenter valeant. Secus enim inauditi condemnari, inauditiq; adversum sibi iudicium non sine injuria pati viderentur.

54 Sexid habitis ex omni parte gravaminibus propofitis, & responsionibus, seu exceptionibus desuper factis, non amplius est necesse, nec decet, ut exceptionem, seu responsionem ædificare volentium denudò pro Replica communicet interesse habentibus; sed si gravamina opponentium, vel exceptionem, ac responsionem ædificare volentium in nada assertionem consistere deprehendat, decerpit ex Scripturis puncta, vel articulos, & quatenus opus est, afferentibus probationem imponat, dando cuius sufficientem ad probandum terminum: Quo elapso juxta allegata, & probata iudicet, ac determinet. Si verò statim ex prima oblata oppositione, & desuper factis responsione, aut exceptione gravamina revera subsistere, & probata videt, illicò sine ulteriori communicatione consentium negat; vel econtrâ concedat, si gravamina non subsistere, sed desicere deprehendit: sciendum namque, quòd legitimâ negandi causâ, seu gravamine non existente, Ordinarius consentium dare teneatur, juxta dicta numer. 42. Quòd si Episcopus consentium negat, causam negandi Superioribus ædificare volentibus manifestet, per textum Bullæ Pii V. n. 42. citatum.

55 Septimò, si dato per Reverendissimum Ordinarium consensu ædificandi, Religiosi præexistentes, vel alii interesse habentes legitime appellent, totum negotium ad S. Congregationem illicò devolvitur, nec ullo modo Ordinarius se amplius immiscere potest, nec Religiosi Ædificium incipere, nec possessionem accipere, nec materialia conveyere, nec aliud quidquam ad propositum aggredi valent, per dicta numer. 35. ex Bulla Gregorii XV. §. fin. & Clementis VIII. Dicitur autem notanter legitime ob dicta numer. 35.

56 Quæritur VIII. Quid Juris, si monasteria, Domus, Residentiæ, aut loca Religiosa contra hæc tenus traditam Formam Constitutionum Pontificiarum n. 29. allegatarum, & Concilium Tridentinum erigantur? Et quæ penæ concedentium, & erigentium? Resp. I. Omnis Ædificatio, aut Erectio præfatorum locorum Religiosorum unâ cum omnibus pro eadem conducendis est nulla, irrita, & inanis, nec aliquid jus tribuit recipientibus, erigentibus, seu ædificantibus Religiosis ibi tem habitandis, aut manendis. Ita hodie unanimis ob Decretum irritans præfatis Constituitur omnibus appofitum; quævis enim in Bulla Clementis VIII. & Gregorii XV. solùm irrita declaratur, & nulla, quæ sunt, & attentantur post Appellationem interpositam; amen quia Urbanus VIII. absolute ac indistinctè irritum, nullum, ac inane declarat, quidquid contra formam præfatarum Constitutionum fieri quavis prætextu, vel causâ contigerit, Conclusio verificatur non solum de attentatis post Appellationem, sed etiam de factis ante Appellationem, imò et si nulla Appellatio infiruetur, ut lo. cit. numer. 71. bene observat Passerinus, & clarè patet ex citata Bulla Urbani VIII.

57 Resp. II. Ordinarii locorum potestatem habent, Religiosos quoslibet contra sæpè dictarum Con-

stitutionum formam ac requisita, Monasterium, Domum, aut aliam habitationem Regularem perpetuam alicubi ædificantes, aut erigentes, aut recipientes, abigere, repellere, eos etiam per Censuras, & penas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, Appellationes postpositâ compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, ita expresse statuit Urbanus VIII. in Bulla nov. 29. allegata: conveniuntque ob claritatem textus DD.

58 Limita tamen Conclusionem in casu, quo Religiosi Monasterium, Hospitium, Domum, aut alium locum Religiosum tandiu jam possident, ut Præscriptioni sit locus: vi hujus enim sicut alia, ita & loca Regularia minus legitime acquisita, legitime retineri valent; cùm Præscriptio horum nullibi prohibita videatur. Quantum autem ad eam tempus requiratur, desume ex dictis Lib. 2. Tit. de Præscriptione. Illud etiam specialiter lic addendum, quòd Fratres Minores Regularis Observantia, vi Confessionis à Sixto V. factæ possint loca quæcumque, & qualitercumque recepta, & acquisita, licite ac valide retinere, si illa jam ultra decem annos possiderint; imò etiam si infra decem annos ea possideant, dummodò in hoc ultimo casu eam cum licentia Ordinarii acquisiverint; consequenter effi per unum tantum, aut alterum annum, locum Regularem cum licentia Ordinarii pacifice possident, amplius molestarî nequeant. Bullam per extensum vide apud Hyacinth. Donatum Tom. I. tr. 1. q. 12. quam etiam citat Landuscha §. Conventibus n. 10. Si verò absque licentia Ordinarii Monasterium, Domum &c. ædificarent, recipient, & inhabitarent, possent æquè ac alii per Ordinarium abigi, si ultra decemium ibidem non essent; secus, si ultra decemium.

Resp. III. Si Episcopus ipsemet contra formam sæpè memoratam consentium ædificandi præbet, aut ædificari, seu erigi Conventum, Domum &c. Religiosam facit; peccat mortalitèr, utpote in re gravi violans Constitutiones Pontificias graviter obligantes: & nullitèr agit, uti patet ex citatis Bullis, alii autem penæ non subjacet; quia nulla invenitur in Jure.

Resp. IV. Superiores Regulares quicumque, & quòs-60 cumque nuncupantur nomine, ac alie persona, qui quovis prætextu, vel causâ etiam quantumvis privilegiatâ, nova Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, & alia loca Regularia hujusmodi, sine expressâ Ordinariorum licentia, ac servata in omnibus & per omnia SS. Canonum, & Concilii Tridentini necnon Constitutionibus Clementis VIII. & Gregorii XV. (supra n. 29. allegatis) erigere, fundare, seu aliâs quomodolibet instituere, seu incepta finire, & absolvere audent, seu præsumunt, præter gravissimum inobedientia peccatum penas privationis vocis activæ, & passivæ, nec non Officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illas, & ad alia in futurum obtinenda, nec non etiam Excommunicationis ipsò facto incurunt. Ita in terminis præfata Bulla Urbani VIII. & ideo unanimis Doctorem.

TITULUS XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum, Cœmeterii; & Rerum ad eas pertinentium.

1 Ratio Rubrica.

Postquam Compiler in præcedenti Titulo agit de ædificatione Ecclesiarum, recto ordine sub-

subjungit præsentem Titulum de Immunitate Ecclesiarum: & aliorum Locorum sacrorum; ejus occasione Doctores etiam sub eadem Rubrica de Immunitate Personarum Ecclesiasticarum agere solent; quos nos quoque imitabimur. Et quoniam materia hujus Tituli propriè Canonica, Clericis scilicet non tantum summe utilis, sed & necessaria est, eam paulò filius, ferventi tamen brevitate legibus, juvante Deo, tractare conabimur.

§. I.

De natura, & divisione Immunitatis: ubi quædam in specie de Immunitate locali.

SUMMARIUM.

- 1 Immunitas derivatur à munere: & munus quid?
- 2 Immunitas Ecclesiarum, & Ecclesiastica non sunt idem: passim tamen sumuntur pro eodem. Et n. 5.
- 3 Immunitas ut sic definitur.
- 4 Dividitur in localem, realem, & personalem.
- 5 Immunitas localis quid?
- 6 Hæc gaudent omnes Ecclesie auctoritate Episcopali erectæ, licet videri sint consecrate.
- 7 Nec divina in eis celebrata.
- 8 Item dic de Oratoris.
- 9 Sacris, & locis Ecclesie adherentibus.
- 10 Cœmeteria gaudent iis privilegiis, quibus Ecclesia.
- 11 In præfatis locis non possunt trahari cause Criminales.
- 12 Neque Civiles seculares.
- 13 Bene tamen Ecclesiastica.
- 14 Contractus quoque in dictis facti licet valeant, tamen sunt prohibiti.
- 15 Excepis, qui sunt ad promovendam devotionem fideium, uti est venditio candelarum, observatio practica.
- 16 Omnes actus profani, profanaque colloquia in Ecclesiis sunt prohibita.
- 17 Vim inferentes Ecclesia, & eam consulentes &c. ledunt Immunitatem, ac subjacent penis.
- 18 In Ecclesiis liciti sunt alius pietatem respicientes: ac Dispensationes publicæ.

2 Ueritur I. Quid ad præsens, & quotuplex sit Immunitas? Ante responsionem notandum I. Immunitatem derivari à ly Munus, quod præter alias significationes propriè Oaus, functionem, & obligationem alicui impostam, vel lege aut more incumbentem significat I. Munus, 18. & I. Munus propriè, 214. ff. de V. S. ibi: Munus propriè est, quod necessarid obimus lege, move imperiove ejus, qui jubendi habet potestatem: unde qui à tali onere, aut obligatione liber aut exemptus est, immunis esse & immunitate gaudere dicitur, cit. l. Munus ff. de V. S. cum concordantibus. Sicut econtrâ, qui communium onerum, & numerum particeps est. Municipis dicitur L. 1. §. 1. ff. ad Municipal. ibi: Propriè Municipis appellantur munus partis per.

3 Advertendum II. Quòd quamvis multi Doctores (quos etiam in Theologia nostra Morali Tr. 12. Dist. 1. n. 3. sumus secuti) Immunitatem Ecclesiarum, & Immunitatem Ecclesiasticam confundant, ac pro eodem sumant, indeque unâ definitione eam describant dicendo: Immunitas Ecclesiastica est jus, seu exemptio, quâ Ecclesie, res, & persone Ecclesiasticæ à publicis muneribus, & oneribus secularibus sunt libera: & ita definitam Immunitatem ut sic dividunt in localem, realem, & personalem: tamen si strictè ac propriè loqui velimus, non sint idem, sed

quid diversum, uti bene advertit Riccius in præsi aùrea p. 2. Resol. 53. n. 2. quem sequitur Engel h. t. n. 2. & alii volentes, quòd per Immunitatem Ecclesiarum sola intelligatur Immunitas localis, competens Ecclesiis aliisque locis sacris juxta dicenda infra. Immunitas vero Ecclesiastica sit, & dicitur illa, quæ competit personis Ecclesiasticis, rebusque ad has personas, vel ad Ecclesias, aut loca sacra pertinentibus, arg. extravag. 1. §. Incendiariorum. de Privileg. ubi distincti poni videntur Immunitatis Ecclesiarum, & libertatis (id est Immunitatis) Ecclesiasticæ violatores; ut proin in materia penali, ubi termini strictè ac propriè accipiuntur, arg. c. Odis. de R. J. in 6. nomine Immunitatis Ecclesiarum non veniat Immunitas Ecclesiastica, & econtrâ, nisi expresse consistet de mente Legislatoris, & hanc doctrinam etiam idèò amplectimur; quia supra posita definitio Immunitatis ut sic ab Adversariis communiter data non convenit omni definito; cùm ut ex dicendis infra patebit, non possit aptari Immunitati locali, ac Juri Asyli, quæ tamen est membrum definiti, juxta ipsos Adversarios, qui Immunitatem, ut supra definitam, in localem, realem, & personalem tanquam species dividunt.

Resp. I. Immunitas ad præsens est Jus, quo Ecclesia, & alia loca sacra, nec non persone Ecclesiasticæ, ac res ipsarum libera ac immunis sunt à muneribus, & oneribus secularibus, atque ab actibus curiarum sanctitati, & reverentia debita repugnantibus. Ita desumitur ex doctrina n. præced. patetque ex dicendis infra arg. integr. Titul. h. t. Dicitur Jus loco generis. Dicitur, quo Ecclesia, loca sacra, persone, & res, ut quævis species Immunitatis includatur. Dicitur à muneribus, & oneribus secularibus, quæ particule in Immunitate reali, & personali verificantur. Additur, & actibus reverentia debita repugnantibus: ne à definitione excludatur Immunitas localis, quod totum magis patet ex dicendis.

Resp. II. Immunitas ut sic dividitur in localem, realem, & personalem. Ita in re communis; quamvis multi dividendo Immunitatem dicant, Immunitatem Ecclesiasticam dividitur; nos verò ly Ecclesiastica omittendo dicimus, Immunitas ad propositum dividitur dicitur: Ut proin, licet cum omnibus aliis concedamus Immunitatem esse triplicem, localem nempe, realem, & personalem, non tamen (strictè loquendo) fatemur Immunitatem Ecclesiasticam esse ita triplicem; cùm juxta dicta, & dicenda adhuc, Immunitas localis propriè non sit Ecclesiastica, sed Ecclesiasticam, nec ei definitio Immunitatis Ecclesiasticæ à Doctores communiter data, & supra n. 3. allegata conveniat, bene verò definitio Immunitatis ut sic data nu. præced. Cæterum fatendum, quòd in communi usu loquendi ac scribendi, ad præfatum differentiam non multum attendatur, sed Immunitas Ecclesiarum, & Ecclesiastica passim pro eadem sumantur, ac etiam Immunitas realis, Ecclesiastica appellatur, prout ipse quoque Gregorius XIV. in sua Bulla infra alleganda fecisse dignoscitur. Porro quid sit, & in quo consistat quævis ex præfatis tribus membris Immunitatis, fusc patebit ex sequentibus. Interea scire sufficiat, Immunitatem localem esse, quæ locis, realem que rebus, personalem que personis competit. Exactius autem agendo inprimis de Immunitate locali.

Quæritur II. Quid sit, & in quo consistat Immunitas localis, seu Ecclesiarum? Resp. Immunitas localis est jus competens Ecclesiis, aliisque locis Religiosis, vi cuius alius profani, seu seculares in eis exerceri non valent, & malefactores illuc confugientes in vita & membris protegentur, ita ut inde extrahi non possint. Ita in re communis, arg. c. Decet. h. t. in 7. & can. Non oportet, dist. 42. c.